Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae uocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne uerbum. Dixit autem Maria. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum.

Initium sancti Euangelij scm Matthæum. ij.

Cum natus esset Ihesus in Bethleem Jude in diebus Herodis regis: ecce magi ab oriente uenerunt Jheroſoliman, dicentes: ubi est qui natus est rex Judeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente: et uenimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Hieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi: sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Juda, nequaq̃ minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam uocatis magis: diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem dixit: Ite, et interrogate diligenter de puero: et cum inueneritis, renunciate mihi, ut et ego ueniens adorẽ eum: Qui, cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella quã uiderant in Oriente, antecedebat eos: usq̃ dũ uenies staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sũt gaudio